



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De domestica & interiori conuersatione. ciii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*De ignorantia omnibus maximè sacerdotibus
vitanda. Cap. C.*

Ex cõcil. Toletano 5. cap. 25. **I**gnorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sancta scriptura admonet, Paulo apostolo dicente ad Timotheum: Intende lectioni, exhortationi. Doctores semper se permanere in his sciant. Igitur sacerdotes scripturas sanctas & canones meditentur, vt omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quàm operum disciplina.

Vt episcopus dissidentes concordare cõpellat. Cap. CI.

Ex cõcil. Cartha. cap. 26. **S**tudèdú est episcopo vt dissidètes fratres, siue clericos, siue laicos ad pacè magis, quàm ad iudiciũ hortetur. *Vt in die dominica rerum dyudicationes non fiant. Cap. CII.*

Ex concil. Spalensi. cap. 2. **V**T nullus episcopus, vel infra positus, die dominico causas iudicare præsumat. *De domestica & interiori conuersatione episcoporum. Cap. CIII.*

Ex concil. Aureliã. cap. 5. **D**ecreuit sancta synodus domesticam & interiorem episcopi conuersationem totius reprehensionis atque suspicionis impenetrabilem fieri debere, vt iuxta Apostolum prouideamus bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Oportet igitur vt cubicalo episcopi & secretioribus quibuslibet obsequiis synceræ opinionis sacerdotes & clerici assistant, qui vigilantem, orantem, sacra eloquia scrutantem episcopum suum iugiter attendant, eiusque sanctæ conuersationis testes, imitatores, & ad Dei gloriã prædicationis existât. *Vt episcopus quasi hospes se cõtineri debeat. Cap. CIIII.*

Ex dictis August. **E**piscopus quasi hospes fieri debet, & priuatam domũ nõ habeat, sed quasi hospes esse debet, vt Christus ait: Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.

Vt episcopi frequenter Missas celebrèt. Cap. CV.

Ex cõcil. Arausico, cap. 3. **S**tatuimus, vt non tantùm dominicis diebus, & præcipuis festiuitatibus episcopi Missas celebrent, sed quum possibile fuerit, quotidiana quoque sacrificia frequentent, nec fastidiant.